

Sehmann
De fugienda
micrologia
diacetel.





46
DE
FVGIENDA MICROLOGIA DIAETETICA

DISSERIT

ET

ANTONIO IOHANNI
HARTMANNO

V I R O

PRAECLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

AA. LL. M. PHILOS. DOCTORI ET MEDICINAE CANDIDATO DIGNISS.

SVM MOS IN ARTE SALVTARI HONORES

DIE XXVII. M. NOVEMBER. A. MDCCCLXXXVI.

IMPETRATOS

N O M I N E

SOCIETATIS DISPV TATORIAE

IOHANNES GOTTFRIED
LEONHARDI

A. M. PHILOS. ET MED. DOCT. PATHOL. ET CHIRVRG. P.

P. O. SOC. OEC. LIPS. SODALI

PRAESIDE FLORENTIS

GRATVLATVR

GOTTHELF AVGVSTVS SCHVMANN


DRASCHWITIO CIZENSIS. MED. CVLT.

WITTENBERGAE,

TYPIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII.

13. 7. 06.





Pinxit, vt alia omnia, ita quoque auari imaginem in suis caracte-
ribus ethicis perquam egregie THEOPHRASTVS ERESIVS *) ei-
que micrologi nomen imposuit. Minutias enim quasuis atten-
dere auarus solet, parui adeo lucri cupidus paruique detrimenti pau-
dus. Sicuti vero circa rei familiaris curam minutior curiositas et ridi-
cula et nociua reperitur, ita quoque circa valetudinis tutelam aequae
ridicula et aequae nociua curiositas occurrit, quam micrologiam diae-
teticam nominare mihi liceat. Eius naturam in hoc libello, quantum
potero, eum in finem adumbrabo, vt appareat, quod demonstratum
eo, esse hoc vitium omni studio fugiendum.

Corpore sano, si mentem bonam animumque a scelere purum
excipias, nil praestantius reperiri verissimum est. Id a parentibus ac-
ceptum conseruari sobrio viuendi genere notum esse arbitror. Praeit
nobis sobrie viuendi regulas diaetetica, siue ea sapientiae medicae
pars, quae omnium rerum, quibus carere non possumus, et quibus
inest valetudinis nostrae mutandae potestas, talem usum docet, qui
morbos arceat, et vitam proroget. Ad eiusmodi res, quas vulgo non
naturales dicunt, referimus aërem, quem spiramus, vestimenta, qui-
bus amicimur, victum, quo pascimur, potum, quo sitim extingui-
mus, motum, quo exercemur, quietem, qua recreamur, vigiliis, per
quas animus suo corpore vitur, somnum, quo rescimur, excretiones,
quibus superflua aut noxia expellimus, retentiones vtilissimi, animi-
que pathemata, quibus noxia auersamur, vtiliaque appetimus. A ve-
ra autem diaeta valde differt micrologia diaetetica, quam nunc de-
scribam. Micrologus in diaeta est is, qui in quaeunque re, non so-
lum circa cibum et potum, sed etiam circa alias res v. c. medicamen-
ta, excreta, retenta &c. nimis meticulosus est. Omnem cibum et
potum

*) Caractere decimo sic μικρολογία definit: ἐστὶ φειδωλία τοῦ διαφόρου
ὑπὲρ τὸν καιρὸν i. e. micrologia est intolerabilis impensarum s. pecu-
niae, sumtuarum parsimonia.

potum cum metu quodam fumit; quicquid agit, timidum eum red-
dit; a minima re, minimoue diaetae errore ad animi affectus et saepe
quidem maximos excitatur; morbos sibi fingit, seque, vtvt optime
valeat, iam aegrotum credit, et tanquam aegrotum tractat. Microlo-
gi nullum cibum et potum capiunt, nisi eum antea rite examinauerint
ponderauerintque; ne nimio se onerent cibo, semisaturi circiter cum
solicitudine quemlibet bolum aspiciunt, et, num forte nociturus sit,
pensitant; famem ferre, quam modum in cibi proposito pondere ex-
cedere malunt; cibos ipsorum iudicio facile digerendos amant, atque
frequenter illis vtuntur; immo abutuntur; eos vero, qui secundum
eorum opinionem, saepe tamen falsam, non ita facile digerunt, o-
dio habent, vtvt optimos. Sic etiam ratione potus se gerunt; hic
mensura quadam vtitur, obseruationem vero naturae, an illa hoc pon-
dere semper sit contenta, negligit, ille sibi aliquod potus genus, quod
vel amat, vel ab alio commendatum et laudatum est, eligit. Ante-
quam alimenta capiunt, libros consulunt de diaeta praecipientes, eo-
rum regulas nulla habita suae naturae ratione sequuntur. Sicuti ve-
ro in cibo et potu ad minima attendunt, et micrologiam exercent di-
aeticam, sic etiam in aëre; aëris grauitatem barometro examinant,
ex qua deinde, quid sit faciendum, concludunt. Frigidus, humidus,
siccus aër nocere potest; domi itaque se tenent, et si necessitas, vt do-
mum suam relinquunt, cogit, tunc timido et perterritio animo eam de-
ferunt; omnem dant operam, vt mox possint redire, et timide vale-
tudinem futuram exspectant. Aëre secundum eorum sententiam, vel
potius secundum barometri indicationem puro fenestras aperiunt, et,
vt eo rite possint vti, semper in illo versantur, atque e contrario alios
diaetae errores committunt. De motu et quiete varias habent senten-
tias. Alius motum saepe vsque ad sudorem exercet, alius quietem ad
pigritiam vsque amat. Plerisque aëris grauitas motum instituendum vel
intermittendum definit, certo persuasus, tempestatem maiorem in cor-
pus vim quam intermissum motum corporis habere. Cum micrologi
in omnibus actionibus ad sanitatem respiciant, propterea nunquam in-
termittent, ad omnia in corpore occurrentia attendere. Euacuationes
naturales inprimis ipsorum sibi vindicant attentionem. Quum aluum
obstipatam, transpirationem suppressam, excretionem vrinae retentam
magna incommoda, imo vitae periculum posse asserre, sciant, micro-
logi



logi ad haec omnia diligenter attendunt, bene quidem haecenus, modo modum seruant, neque excretionem venturam anxie expectant, vel cessantem aut pauent, aut medicamentis extorquerent. Transpiratio corporis nostri semper est promouenda, nec vnquam reprimenda; micrologi vero eam vel per medicamenta calida, vel per regimen calidum augent; hinc medicamentis diaphoreticis abutuntur; aestate non theristrum, sed chlaenam induunt, frigus fugiunt, et in hypocausto calefacto versantur. Excretionem aluinam definito tempore non consecutam inquiete expectant, et prae expectatione anxia laborant, ad studia exercenda et labores peragendos non apti purgantia adhibent, atque ipsis nota exempla eorum, quae obstructione aluina, morbo ileo e vita decedebant, recitant. Sunt, qui non contenti excretionem aluina rite facta, ipsas feces perquirant, odorem, colorem et indolem scybalorum examinent, et si in illis insolita, vt credunt, inueniant, tunc vt causas detegant, omnem nauant operam. Aetiologia morborum talibus hominibus plerumque ignota est, hinc non tranquillo sed inquieto animo illas inuestigant; hinc omnes causas, quas possunt excogitare, perpendunt, et saepe falsam sententiam pro vera amplectuntur. Eodem modo etiam in vrinam inquirunt; saepe eam adspiciunt; diligenter, quanta et qualis, an sit aucta aut suppressa, an pellucida aut saturata, an pura, aut peregrinis particulis mixta, considerant, et minima eius mutatio, saepe tamen a causis naturalibus orta, metum illis inferre potest. In genere omnis, quae praeternaturaliter in corpore euenit, quamuis minima mutatio, eos timidos reddit, impeditque, quo minus laeta vtantur vita. Sanos nunquam se credunt; non solum sibi, sed et aliis molesti sunt. Medicus si ad illos accedit, saepe audiet: venae sectionem hodie institutam — atque quidem quam ex causa? aequinoctium habemus; iam annus dimidius, ex quo illam institui, praeterlapsus est; vereor, ne apoplexia oriatur; cephalalgia laboro. Saepe purgans aut vomitorium fument; credunt enim, id esse necessarium. Causae, quas afferunt, sunt v. c. alius hodie non respondet, victu crudo sum vsus, diu est, ex quo catharticum adhibui. Saepe ad chirurgum, vt scarificationem instituat, decurrunt. Remedium enim prophylacticum variorum morborum esse, et intermissionem huius remedii multa damna valetudini posse adferre, existimant. Non solum his, plerumque intempestiue adhibitis, remediis, sed etiam

etiam medicamentis, v. c. diureticis, digestiuis, roborantibus abutuntur. Ex his iam dictis apparet, micrologiam diaeteticam aliqua parte quidem cum vera diaeta, quae sanitatis conseruationem et restauratiorem docet, conuenire, sed tamen maxime inter vtramque differre. Haec nempe modum in sex rebus non naturalibus, illa vero aut nullum seruat, aut verum excedit, et regulas diaeteticas falsa ratione vel explicat, vel aliam obseruat, aliamque negligit. Vnum tantum exemplum adferam. Micrologus hanc legem diaetae: *Tuae sanitatis custos sis vel ipse, vel per alium* strictissime obseruat, quod eius actiones luculenter demonstrant, sed hisce praecipis, *Nimum sanus esse noli: Non id est remouendum, quod non potest remoueri: A medicamentis, quam diu fieri potest abstine*; plane non paret; hinc sanitatem cum morbo confundit, saepe contrariam diaetam adhibet, et medicamentis abutitur, imo vetulae et medicastrum consilium sequitur.

Ad micrologos in diaeta iure meritoque parentes quidam sunt referendi, qui in liberis micrologiam diaeteticam exercent, et timido perterritoque animo omnia ad liberorum educationem spectantia peragunt. Sic, vt hoc vno vtar, quum aërem infantibus noxium esse credunt, vt in hypocausto calido, saepe aëre mephitico et putrido repleto, versentur, curant pessime.

Tandem huc medicos quosdam refero, qui in curandis morbis micrologiam diaeteticam commendant, et ad minutissima in diaeta attendunt. Haec curandi methodus vti nullam vtilitatem, ita damnum adeo afferre solet aegrotis; adstantibus molesta est; morbum ipsum peiorem reddere potest. Saepe dum aegrotus morbo quodam laborat, aliquid, quod morbum non solum leuaret, sed et curaret, appetit; medicus id non contemnat, neque omne ab aegrotis, forsitan in morbo suo recreamentum, morbum eius aliquando faciliorem reddens remoueat. Praeter rationem dissuadens medicus, quae aeger poscit, imperiosus pariter atque inhumanus est, motaque aegris bile non raro nocet, nec raro morbo ducto. Quin immo, vt saepe ignorantissimi, ex timore rigorosissimi sunt, ita quoque saepe ridentur, saepe falluntur. Aegrotus enim, cui omnia fere sunt prohibita, errores, quos eo facilius committit, et quibus morbi statum mutat, medico vix confitebitur, cum e



contrario a paucis interdictis abstinere, et medicus hac indulgentia aegroti amorem sibi conciliabit, qui eo libentius erit ei obtemperaturus.

Sufficiant haec de micrologis eorumque descriptione dixisse; videbimus nunc, an hoc vitium omni studio sit fugiendum.

§. I. Micrologi nullum seruant modum a) non id praestant, quod praestare possunt, et sic vires corporis perdunt, corpusque debilitant, certo non roborant. Hoc verum esse, ostendam. Victum mensurant. Nostrum quidem est, vt tam quantitatem, quam qualitatem ciborum consideremus. Quantitas et qualitas omnino nocere potest, sed sanum hominem, qui anxio et timido animo quemcunque cibum eligit, et omnem bolum contemplatur, vitupero. Imaginationem enim sequitur, falsasque habet ideas. Causa, cur cibo et potu vitimur, nulla alia, quam expletio famis, sitis extinctio, et virium restauratio est. Medici fuerunt, qui mensuram cibi et potus in quocunque homine quotidie sufficientem definirent; sed an talis mensura omnibus hominibus sit conueniens, imo an pondus quoddam definitum in vno eodemque homine quotidie sufficiat, dubito. Fames, sitis, nostri sanguinis calor, siccitas oris, ieiunia et corporis motus, qualis sit victus mensura, definiunt. Corporis humani constitutio non vna eademque sed diuersa est; hic robusto, ille debili corpore gaudet; robustus plura prae debili postulat, hinc ridiculum est, si mensuram cibi et potus definiamus. Victus diuersa genera varium effectum praestant; hoc bene, illud male nutrit, hoc exaestuatur, illud non; hinc victus ipse quantitatem sufficientem neque pondus definit. Certum pondus sanitati adeo noxium esse, credo. Actiones enim laboresque nostri diuersi sunt, micrologus ipse, vt ei placet, mox sedet, mox ambulat; necessario itaque destructio, nutritio, digestio varia, et diuersus appetitus occurrit. Ad anni tempora etiam prouocatur; hyeme plus aestate comedimus; ad maiorem ciborum copiam ingerendam calor hyeme intus conclusus, digestionemque promouens, suadet; hinc anni tempus, motus, destructio, fames et sitis cibi et potus pondus definiat. Optima regula, vt puto, ratione victus, et optima cibi mensura expleta fames est, vt ventriculus nullos dolores sentiat, vt corpus et animus alacres ad omnes labores actionesque peragendas conferentur, vt somnus per noctem sit quietus et recreabilis, vt mane nulli dolores capitis

pitis oriantur, et nullus affluuntis cibis in ore adfit gustus deprauatus, vt alius libera maneat. Quod qui obseruat, atque ad haec attendit, curam sanitatis prudentiorem, diaetamque meliorem iis, qui victu ad pondus vtuntur, eumque mensurare solent, seruat. *) Micrologi tenero victu, vt diximus, vtuntur. Medici antiqui iam intellexerunt, et experientia hoc probauit, homines tenero et lauto victu assuetos anorexia, mala digestionem, et viribus prostratis laborare, nec vlla alia causa, haec symptomata proferens, quam ille victus excogitari potest. Libere fateor, atque credo, victum asperum atque crudum valetudinem micrologorum quorundam, inprimis si vita sedentaria accedit, immutare posse, et rusticum talem victum melius urbano et hypochondriaco, qui inprimis in diaeta micrologiam exercent, posse digerere, sed causa non in victu, verum in educatione molli et mala consuetudine, qua omnes cibos asperos damnant, latet. Micrologi barometro aëris grauitatem inquirentes, et secundum illam corporis motum et quietem instituentes, corpus debilitant, et effoeminant, credunt quidem, asperum, humidum et calidum aërem noxium esse, optimum prophylacticum remedium morborum esse, vt domi tunc se contineant, sed tale remedium, quod non roborat, sed debilitat, et sequentibus temporibus, vbi negotia, vt in aëre libero quis versetur, postulant, noxium fieri potest, eligunt. b) Praestant saepe id, quod non praestare debent. Sanitate, qua vtuntur, non contenti medicamentis abutuntur, et sic saepe non solum sanitatem immutant, sed etiam, si in morbum incidunt, vim medicamentorum vel debilitant, vel plane perdunt. Nil maius damnum, quam medicamentum importuno tempore, nil maiorem vtilitatem, quam opportuno tempore adhibitum, afferre potest. Nostrum itaque est, vt medicamentis caute vtamur; abusus morbos gignere potest, aut illis ansam praebere; varia medicamenta, quam saepe vtilia sunt, quam diu operantur, vt purgantia et vomitoria, nostram valetudinem immutant; intempestiuo tempore adhibita vitae periculum inferre possunt, et abusus eorum primas vias debilitat, et saepe


*) Hippocrates in libro *περί ἀρχαίων ἰητρικῆς* p. 7. edit. Basil. 1538. δεῖ γὰρ μέτρον τινὸς σοφίσασθαι. Μέτρον δὲ οὐδὲ σαθρὸν, οὐδὲ ἀριστὸν οὐδένα ἄλλον πρὸς ὁ ἀναφέρειν εἶσθαι, τὸ ἀκριβές, οὐκ ἂν εὐροῆς ἄλλο, ἢ τοῦ σώματος τὴν αἰσθησιν.



saepè conuulsionibus et spasticis affectionibus occasionem praebet. Quomodo haec, sic etiam omnia reliqua agunt.

2. Micrologia diaetetica animi adfectus, nostram valetudinem semper immutantes, excitat. Animum magnam in corpus nostrum vim habere, facile intelligere possumus, quia ex variis mutationibus animi variae corporis mutationes oriuntur. Animi pathemata siue grata, siue ingrata cum mutationibus in corpore maximis coniuncta sunt. Tantum aliquid de ingratis, huc inprimis pertinentibus, dicam. Terror inprimis neruus mouet, et varia symptomata, quae sanitatem perdunt, profert; pulsus subsistit; debilis, paruus fit, sanguinis motus interrumpitur, corpus pallefcit; refrigerium, anxietatem, animi deliquium, quia sanguis interiora versus congeritur, patimur. Metus transpirationem inhibet; materia transpirabilis ad interna viscera abit; hinc e metu saepe alui fluxus oritur. Moeror sensim in omni humorum motu languorem parit, corpus hinc emarefcit. Curandum itaque est, vt mens sana sit in corpore sano, quoniam tunc circulatio humorum et per illam sanitas optima est. Micrologi quotidie quidem sanitatis curam habent, de sanitate tamen nimium solliciti non solum morbos sibi fingunt, sed etiam veros concitant et augent, Timorem enim tam in morbis ipsis, quos periculosiores reddit, quam corpori sano noxium, et causam morborum inprimis acutorum occasionalem esse, vltus saepe docuit.

Sed haec hactenus, quae Tui causa, amice suauissime, scripta sunt. Tuae virtutes atque Tua merita debitis laudibus efferre nolo, quoniam amicitia et familiaritas nostra hoc impedit, et quoniam vix adulatoris suspicionem euitarem. Gratulor Tibi sodalium meoque nomine de hodierno die, et, vt omnia Tibi bene succedant, opto. Gratulor mihi, cui obtigit arctum amicitiae vinculum Tecum nexere, quod, vt nunquam dissolui patiaris, vehementer peto. Vnicum adiicio, ne nostrum vltius, qui sodales vnus eiusdemque studii fuimus, obliuiscaris. Vale.



Ne 2491


ULB Halle

3

005 314 860







Farbkarte #13

B.I.G.

46

DE
FVGIENDA MICROLOGIA DIAETETICA
DISSERIT
ET
ANTONIO IOHANNI
HARTMANNO

V I R O
PRAECLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
AA. LL. M. PHILOS. DOCTORI ET MEDICINAE CANDIDATO DIGNISS.
SVMOS IN ARTE SALVTARI HONORES

DIE XXVII. M. NOVEMBR. A. MDCCCLXXXVI.
IMPETRATOS
NOMINE
SOCIETATIS DISPVTORIAE
IOHANNIS GOTTFRIED
LEONHARDI

A. M. PHILOS. ET MED. DOCT. PATHOL. ET CHIRVRG. P.
P. O. SOC. OEC. LIPS. SODALI

PRAESIDE FLORENTIS
GRATVLATVR
GOTTHELF AVGVSTVS SCHVMANN
DRASCHWITIO CIZENSIS. MED. CVLT.

Ke 2491

WITTENBERGAE,
TYPIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII.

13. 7. 06.

